

21

Concordi voto patris ab amne meant.
 Rex age, consiliis, si dignor, consule nostris,
 Atque meis votis Rex pietate fave.
 Gens est tetra nimis Saræ de nomine dicta,
 Quæ fines nostros depopulare solet,
 Fortis, equo fidens, armorum munere nec non,
 Quæ mihi nota (30) nimis, & sibi notus ego.
 Mœnia, castra, locos, seu cetera sæpe notavi:
 Ducere vos possum tramite pacifico.
 Est quoque præterea sæva Urbs (31) in fini-
 bus illis,
 Causa mali tanti quæ sociata manet.
 Si pietate Dei, vestro faciente labore,
 Hæc capiatur, erit pax requiesque tuis.
 Illuc tende gradû Rex, infer munera mællis (32),
 Et Vilhelmus erit prævius, alme, tuus.
 Tum Rex adridens verbis ita fatur amicis,
 Amplectens famulum, oscula datque capit:
 Gratia nostra tibi, Caroli sit gratia patris;
 Dux bone, pro meritis semper habebis ho-
 nos (33).
 Hæc quoque quæ recinis, jam dudum pectoris
 arce
 Ponere cura fuit: nunc recitata placent.
 Consulo consiliis, ut possis, consulo votis:
 Adventum citius credito, France meum.
 Namq; unum, fateor, cogor tibi dicere, *Vilhelm*,
 Tu modò mente avida suscipe verba mea:
 Si mihi vita comes domino tribuente superfit,
 Ut reor, atque meum prosperet ipse itiner,
 Possim aut Birchiona tuos fera cernere muros,
 Quæ tot bella meis lætificata canis,
 Tector utrumque caput (humeris fortasse re-
 cumbens
 Vilhelmi Comititis. hæc quoque dicta dabit)
 Aut mihi *Maurorum* contra stet turba profana.
 Sequæ suosque tegens prælia martis agat,
 Aut tu Barchinona volens nolensque vetata
 Pandere claustra jubes (34), & mea iussa
 petes.

- (30) Nempe ille anno 793. a Saracenis Hispaniam jugo prementibus fuga salutem quaerere coactus fuit, ut *Annales Mosiacenses* testantur. Rursus vero & ipse variis caedibus eosdem Saracenos prostravit anno 794. & sequentibus, uti nos docet Auctor Vitæ supra memoratæ apud Mabillonium.
- (31) Id est *Barcino*, Maurorum piratarum ac prædonum asylum.
- (32) Quid sit *in ferre mællis*, Oedipus explicet. *Mællis* nihil aliud significabat iis temporibus, quam pagos, villas, prædia. Fortasse *mællis belli* intellexit, quæ voce nō semel infra est usus.
- (33) Pro honorem, cum bona Prisciani venia. Infra etiam occurret, neque semel.
- (34) Pro *jubebis*.
- (35) Non alium hunc puto fuisse, quam qui postea Ludovico ipso Pio imperante creatus est Lutetiae Parisiorum Comes, & Monasterii Fossatensis institutor fuit. In Diplomate Caroli Calvi Franciæ Regis anno 844. apud Baluzium Tom. II. Capitular. pag. 1454. legitur, Monasterium Fossatense ad petitionem *Bigonis quondam illustris Comititis*, susceptum fuisse sub suo *mundeburde atque defensione* a Ludovico Pio Imperatore. Eiusdem *Bigonis* mentionem facit Clariss. Mabillonius in *Annal. Benedictinis* ad annum 816. quo idem Comes e vivis excessit, duo ejusdem Ludovici Diplomata referens pro Fossatense Monasterio, in quibus idem *Bigo illustris Comes* memoratur: eum vero Mabillonius *Begonem*, seu *Biegonem* appellat. Quantopere eum Ludovicus diligeret, hinc etiam habes, quum eum Poeta nominet, *Bigonem amatum*. Quare nil mirum, si Ludovicus post Caroli patris mortem eum constituerit Parisiorum Comitem. Ilius obitus infra narratur.
- (36) Librarii error. Sic enim in MSto legitur. Scribe *sona*.
- (37) Hoc est, quamprimum remissis caloribus aestivis Autumnus accedet, tunc *Barcinonensis*

A Hoc dicto, Proceres vario sermone fremebant
 Almificis pedibus basia stricta dabant.
 Tum Rex *Bigonem* (35) verbis compellat
 amatum,
 Auribus in cuius dulcia verba sonat.
 Ito celer Bigo: hæc nostrorum edicito turbis,
 Atque tuo nostra pectore verba sonat (36).
 Virginis ut primum Titan conscenderit astrum,
 Et foror in propria sede sequetur iter,
 Agmine densato præfata exercitus Urbis
 Mœnia noster ovans occupet arma tenens.
 Bigo facessit agens doctus mox orsa benigni,
 Itque reditque, ferens inclita iussa celer.
 Rex pius interea Christi succensus amore,
 Dat pia Christicolis mœnia (38) digna fatris.
 B Namque ferunt multas Monachorum rite ca-
 tervas
 Instituisse Deo sub ditione sua.
 Quod quis nolle cupit, rogo, Regna Aquitana peragret,
 E quibus en unum chartula nostra canit.
 Est locus insignis cultu seu religione,
 Cui *Concas* (39) nomen Rex dedit ipse prior,
 Olim namq; seris avibusque canoribus (40) aptus,
 Ignotusque homini pro feritate fuit.
 Nunc quoque Christicolam resplendens agmine fratrum
 Quorum fama modò latius æthra petit.
 Hæc quoque Cella (41) pii constructa est munere Regis:
 C Fundavit, coluit rebus, & officiis.
 Valle sedet magna, præcincta flumine (42)
 amœno,
 Vinetis, pomis, seu dapibus variis,
 Rupibus excisis valido sudante labore,
 Quo pateat locus hic, semita Rege datur:
 Dictus erat quondam frater cognomine *Datus* (43),
 Quem referunt primò illum incoluisse locum.
 Hic

- obsidio erit inchoanda. Neque enim in regione a Sole adusta militibus satis patientiæ est obsidioni patenti insistere, dum aestas fervet.
- (38) Primo intuitu legendum videtur *mœnia*. Attamen *mœniorum* nomine significari heic intelligimus Monasteria & Ecclesiâs, quas Ludovicus Pius excitavit.
- (39) Mabillonius in *Annal. Benedictin.* ad annum 763. scribit fuisse, qui tradiderint, conditum a Pippino Francorum Rege *Conchenfè Monasterium* in Aquitania, situm in Ruthenensi Diocesi. Tum ad annum 812. de origine ejus *Coenobii* disserit, incertus & conjectans, ad Pippinum supra memoratum, aut ad Ludovicum Pium, aut ad Pippinum Aquitaniæ Regem, Ludovici ipsius filium, institutionem loci referri posse. Habemus nunc Nigellum, idoneum testem, tribuentem illius *Coenobii*, sive Cellæ originem Ludovico Pio, tunc Aquitaniæ Regi. Idem quoque antea nos docuerat Auctor antiquissimus Vitæ ipsius Ludovici ad annum 811.
- (40) Pro *canoris*.
- (41) Erudite pro more Mabillonius etiam animadvertit ad annum 812. Conchenfè Monasterium fuisse *quamdam veluti Cellam* Frigiaciensis Monasterii; quippe eidem suberat, aut commendatum saltem fuerat.
- (42) Uti ex Diplomate Ludovici Pii constat, quod datum fuit anno 819. idem Augustus Conchenfè Monasterium in pago *Rutenico*, super rivulum *Dordunum*, vocabulo *Concas*, sub suam tutelam admittit.
- (43) Recte omnia congruunt cum Diplomate Ludovici Pii Augusti, spectante ad annum 819. quod protulit Clariss. Baluzius Tom. 2. pag. 1416. Capitularium, ubi primus Conchenfè Monasterii Rector appellatur *vir religiosus Dado quondam nomine*, qui nostris Temporibus locum illum, quo nonnulli Christiani propter metum *Sarracenorum* confugerant, inhabitare cepit.